



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulvm XXI. Mulier.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

recipiat, quare ad hoc admonere debet Episcopus, sed non compellere. De hac regi *lib. 5. t. 10. p. 3. c. 7. n. 7.*

2. Notandum secundò. Si maritus innocens conjugem adulteram recipere nolit, uxor in monasterium includenda est, ad agendam penitentiam. Ita etiam statutum est civili jure *Authent. sed hodie Cod. ad Legem Juliam de adul.* sed hodie ferme non observatur, uti dixi in e. precedente.

CAPITULUM XX.

Dudum.

PARAPHRASIS.

Pontifex mulierem quandam, quæ cum licentia mariti Religionem professâ fuerat, ab impetitione ejusdem viri (qui in seculo manens castitatem & ipse vovit) penitus absolvit, quamvis diceret, se illius ætatis esse, ut sine suspitione incontinentiæ in seculo non possit vivere.

SUMMARIUM.

1. Conjuges ex mutuo consensu continentiam vovere possunt.
2. Quis conjugibus converti volentibus possit præcipere votum continentie?
3. Quia agendum, si conjux reperat conjugem?

Notandum primò. Conjuges mutuo pacto continentiam vovere possunt, renunciantes omni juri conjugali, quod invicem habent, ita tamen, ut vinculum conjugij substantialiter consistat, sed separatio tantum fiat quoad thorum. De hoc dixi in e. *Chariss. 10. hoc tit.*

2. Notandum secundò. Sacerdos tanquam publicus Ecclesiæ minister præcipere potest conjugibus, converti volentibus, continentiam votum; sed videtur hoc proprie spectare ad Episcopum, ideòque sacerdotem hic præcepisse, tanquam Episcopi vices substituentem, uti colligitur ex cap. significavit 18. hoc tit. & notantur *Hofst. Abb. n. 10. Joannes And. c. 2. de usuris in 6.*

Notandum tertio. Maritus, si recedens à se uxorem restitui sibi petat, tanquam spoliato, at verò uxor recedens opponat exceptionem renunciationis, & voti continentie, præsertim solennis, atque probationes in continenti faciendas offerat, restitui non debet repenti, sed prius causa examinari, & cognosci; idque propter periculum prævaricationis voti; maxime, si conjux, aut quæ repetitur, Religionem ingressa sit. Ita *hic Ioan. And. c. 2.* & constat ex dictis.

CAPITULUM XXI.

Mulier.

PARAPHRASIS.

Maritus in infidelitatem seu hæresin lapsus est, uxore persistente in fide; ideò ea per judicium Ecclesiæ à viro separata est; postea ipse ad Fidem Catholicam revertitur, & uxorem postulat: hoc in casu uxor, etiam nolente marito, Religionem ingredi potest.

SUMMARIUM.

Non datur obligatio reddendi debitum conjugi Hæresis damnato.

Notandum. Si conjux in hæresin lapsus judicio Ecclesiæ damnatus est, absolvitur conjux innocens à debiti conjugalis redditione. *argum. c. ult. de hæret. in 6.* & habetur in e. *si ille in 6. de divorrijis*, ubi distinguitur, nãm sententia, seu judicium Ecclesiæ latum sit, nec ne: si latum, & ob id innocens, seu fidelis conjux se separavit, non cogitur recipere reversum, ac penitentem conjugem, cum hæc sit una ex pœnis inflicta ob hæresin, ut alios ab obligatione, quam erga hominem habent. liberet *c. ult.* Si verò sententia non sit lata, reversum ac penitentem recipere cogitur. Ita etiam intelligi posse videtur *Inn. hic & Abb. contra Gloss. V. judicij Ecclesiæ*, & alij apud *Sanchez. l. 10. de matr. c. 15.* Vide, quæ dixi *lib. 5. tra. 10. p. 3. q. n. 10.* & dicentur in cap. de illa.

Hhh

TITU.